

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM

die Iovis XXII. Martij.

M. CLAVDIO GERMAIN, DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

Potuitne hactenus vlla Præparatione Antimonium emendari?

VNA sit licet morborum Medicatrix *a* Natura, quæ sibi par & æqua semper pro Doctore brutis animantibus sufficit: Vni nihilominus accessit homini, ut tuendæ vitæ, sic curandæ valetudinis disciplina, privatis ante formanda incommodis, quàm malis domi forisque in caducum inclinantibus cautior in posterum occurrat, quibus profutura venari, communis atque adeo inprimis necessarij pensi extitit, invenire sagacis industriæ, agere delectum oppidò exercitati judicij, rectè tandem comparatis uti rectiùs summæ dexteritatis, felicitatis in paucis Medentium eximiæ: quando terris omnibus nec unâ Ægyptô patent nemini non obvia & exposita permixtè confusa *b* πολλὰ λυγρὰ καὶ ἐσθλὰ alimenta, medicamenta, venena, alexipharmaca, quę vix quisquam nisi læsus agnoverit. *c* Inde prima primùm ferini victus annona & injuria compressa, inventæque artis legibus ac præceptis obnoxium & toti vectigale Seplasiæ tum haberi cœpit Naturæ αὐτοσχέδιον ἰατρεῖον; quum de stirpibus, animalibus, fossilibusque singulari omnium retrò ætatum conquisita studio & labore remedia, seu admovenda illa, seu ingerenda, ad opus medendi accommodare habuit necesse, ad

a Hippoc. 6. epid. sect. 5. art. 1.

b Homer. Odyss. δ.

c Hippoc. lib. de prisc. med.

ſcopum, neque unum artifici miſcere ingenio utile, ad gratiam componere volupe. Verùm in illis iſtiſve reipſa operæ quidem & noxæ minus, plus fiduciæ; in his longè ſecus, plus artis in pręparando, ſortis & aleæ in utendo; quæ nec idcirco veterum Primipili *d* aut recentiorum ægris uſquam auſi ingerere & committere viſceribus; vel in Extremis extrema omnia cum perſonatis illis Dogmaticis atque Empeïricis *e* Hippocratici Galenicique fundi decoctoribus experiri, quorum ſupina inſcitia eſt, vix elementario ferenda Medicinæ tyrunculo, neſcire in quo magnus ab extremo morbus diſcrepet; unâque contineri diætâ τὴν θεραπείαν ὅλην ἀκριβεστάτην: quæ ſæpenumero in parvis πρὸς τὸ ὑγιὲς, in extremis ſemper πρὸς τὸ παρηγορεῖν ſat eſt, impletque quod Arti reliquum. An non proinde illa θανάτου μελέτη & carnificina, Cancros extremis exaſperare remedijs? In os apoplectici mortem ſorbillantis, non offam melle ſaporatam vetere ritu, ſed nuperô Vinum Emeticum Erebi primitias indere ex guttulo?

d Baſil. Valent. Curr. triumph. Antimon. pag. 15. 16.

e Hippoc. Aphor. 6. lib. 1 Galen. Oribaſ. Philotheus in Comm.

ATENIM quoniam ut facilitate, ſic expedito uſu res ægri meliùs geritur, quæ morbis profligandis auxilia de ſuo nobis animalia ſuppeditant, hôc ipsô quò cognata magis, eò minùs ad frugem ut perducantur negotij creant. Nullius penè ſecundùm hæc artificij gratuita & prima paratior, ſecurior, efficacior de Plantis Medicina, ſeu totæ illæ, ſeu nonnullâ tantùm ſui portione futuræ ſalutis habiles operi. Sunt enim quibus ad uſum abundè eſt purgari; aliis de Medici conſilio paratus decernitur accuratior. Delibrari illas, exenterari, tundi, macerari, inſolari, infundi, digeri, humeſcere, reſiccari, exprimi χυλισμῷ, coqui, cinefieri, teri, incerni, diſtillari, Pharmaciæ provincia eſt, quæ nihil vernaculæ & deſideratæ virtuti detrahat, nihil addat alieni aut inveniat, votô atque ambitu miſerrimô rerum Naturæ plus æquo avidæ Novitatis; cui una præ cæteris cordi eſt uſuique venit de Foſſilibus & Metallicis deprompta, vel potiùs extorta Medicina. Eô quippe operoſior quo inferior Naturâ, omni arte ſuperior: utpote quæ compage primorum cor-

porum pertinaci nexuque multiformi, fœta totius substantię capitalibus dissidiis, longiúsque à vitali divisa commercio res sibi habuerint suas, quarum indicem tabulis describere fidelibus prior ætas nescivit, ampliavit nostra, *a* suis tamen nec implevit numeris, novis ipsa quidem doctior ignibus, sed herclè infelicior, nova quæ sic potuit docere aut facere Venena, castigare, vel expugnare nec dum didicit; fusâ nempe illâ δι' ὅλȣ, quæ in metallicis primâ concretione mansit hæsitq; penissumè virtute deleteriâ. In Plantis autem atque animalibus mitius est & fugacius quod nocet, certis omnino partibus definitum ac circunscriptum. Neque enim *b* Cicuta semine, pomô Mandragora, Napellus cinere *c*, vipera carne venenum est. Arsenici, auripigmenti, Antimonij maleficio nil perit, invictâ flammis malitiâ illa σύστοιχα, ὁμόκαπνα, ὁμοιότροπα efferantur tota, suisque supersunt integra cineribus.

a *Paracelʃ. lib. 3. de vit. long. cap. 3.*

b *Gal. lib. 7* κατὰ τόπ. *cap. 4. ex Andromacho, ad hæmoptoïcos. Lib. 10. c. 1. ad Nephrit.*

c *Diosc. lib. 2. cap. 18.*

VENENI non tenet ille nomen qui bonum venenum nullum agnoscit: Naturam ignorat qui nullum nisi malé utenti malum æstimat: Megaricum sapit qui negat ni perimat. Veneni namque immeritâ suspicione etiam innoxia quæque sæpiculè infamat sinister usus, frustraturque modò vim huius & mala non absolvit, Naturæ robur, vel quod mirere, debilitas. Ex quo nec injuriâ *a* purum putum Venenum habueris Antimonium, quod Novantiquos Græcos, Latinos, Barbaros latuit, ævô superiore Vulcania καπνοβίων Officina devocavit Orco, deque crudo veneno *b* exilij damnatum Centumvirali Patrum judicio deleterium concinnavit & excoxit, cuius vocis vim malitiosiùs is extenuat à sapientum *c* alienior

a *Basil. Valent. cur. triumph. antimon. pag. 15. 16. 48. Apud eundem Dial. de lapid. Philoʃ. incerti auth. pag. 192. 196. Paracelʃ. lib. 3. de gener. rer. nat. cap. 3. Lib. 1. de Morb. metall. tract. 3. cap. 3. Lib. 4. Philoʃ. de Elem. aq. tract. 5. cap. 5. Libavius Syntag. arcan. Chimic. de transmut. magist. lib. 7. cap. 22. pag. 317 cap. 25. pag. 329. Rulandus exercit. Chimic. quæst. 47. Dariot. de prapar. medic. cap. 21. Mathiol. com. in Disc. lib. 5. c. 59.*

b *Decretum Facultatis 3. Cal Aug. 1566. Placitum Senatus 1. Aug. 1566. Decret. Facult. 3. Aug. 1603. Placit. Senat. 1607. Decret. Fac. 28. Ianu. 1609. Decret. Fac. 17. Febr. 1609. Decret. Facult. 18. Oct. 1609. Thesis M. Io. Degorris 1634. Thesis M. Guid. Patin 1643. Thesis M. Claud. Forestier 1645. Thesis M. Car. Guillemeau 1648. Thesis M. Ren. Moreau 1650. Decret. Fac. 23. Decem. 1651. Approbatio Fac. 8. Apr. 1652. Sententia Pretor. Par. 13. Febr. 1664. Placitum Curia 17. Septemb. 1666. quo auditis partibus admissa unius intercessio adversus Placitum eiusdem latum 10. April. eiusdem anni.*

c *Gal. lib. 5. de simpl. med. fac. cap. 18. appellat.* δηλητηρίους δυνάμεις καὶ φθαρτικὰς καὶ φθοροποιούς.

ſententia, qui Mochlicum & vehemens ſubleſtâ fide interpres reddidit. Catharticum qui mentitur, ruinâ nominis rem bonæ indolis quam venenat perdit. παρακτικὸν, καθαιρετικὸν, *d* ἐρεθιστικὸν ſi profitearis, exiguo accenſus eris numero οὐ τῶν ἐμούντων, ſed τῶν ἀκελεβούντων, cùm bene noris quantùm Catharticum inter & venenum, inter purgationem alui fluori critico ſupparem, ac ſymptomaticæ prorſuſque cholericæ egeſtionis erethiſmum diſcriminis intercedat; quamvis illa cum delectu, nec ſine erethiſmo, non ab erethiſmo, in quo ſolo Antimonij κακοῦργου latet exitialis aculeus. Fodinas ſubi? Ecce venenis Antimonium *e* accubat, Arſenici, Auripigmenti convena, metallicæ gentis abortivum, injuſto Naturæ partu extericinum, et ſi barbarè cum barbaris *f* inter barbaros loqui licet, ex Marcaſitis & Cachimiis conflatum impurioribus. Veneni poſtulatum ignibus ſuppoſitis quæſtioni quum admoveris, conſcium huius ac teſtem *g* crudum Mercurium repræſentabit, *h* fusô quinetiam conſpicienda vitrô Arſenici portione, Animali inimicâ potentiæ; ſicuti Vitali, Arſenicali ſulphure; Naturali verò, ſale auripigmentali: tot par unum venenis, omniumque ſimul maleficiis, deprenſum foco, foro damnatum.

d *Quercetanus lib. ad Anonym. cap.3.*

e *Paracelſ. lib.4. Philoſ. de Elem. aq. tract. 4. cap. 5. Libavius Comment. Alkim. part. 2. lib.1. cap.11.*

f *Paracelſ. lib. 1. de morb. metall. tract.3. c.3 Idem Archidox. lib. 6. pag.23. Idem de Mineral. tract.1. pag.350. Libav. Syntag. arcan. Chim. lib.7. cap.22.*

g *Hamerus Popp. in baſil. Antimon.*

h *Quercetan. lib. de peſte cap.6.*

HVIC proinde dedolando ſuo Idolo Antimonio, utque omni exuat & liberet veneni noxa, integra Chimicorum natio operata Vulcani regnum colit; perque varia improbi ſudoris tormenta, in alias atque alias novum iſtum Protea formas dum agit, induſtriô doctâ Mangoniô antè vexat quàm vexet. Prunis totum exercet ardentibus: vel ope ſpeculi parabolici ſimplici præparat calcinatione, adjectâ modò aridorum mixturâ tartari, boracis, nitri, ſulphuris, *a* ferri ſcoriæ, *b* auri per detonationem adornat majorem minoremve, *c* nullô virtutis aut ponderis intertrimentô: modò liquoris additamentô, aquæ nimirum Regalis per Præcipitationem, vel per Diſtillationem cum ſpiritu vini. His excitata monſtra non Naturæ, ſed ſcientiæ temerariæ peccatis, ſurgit recens editurque interpolis veneni pullities, Crocus metallorum ſiue hepar Antimonij, Regulus, vitrum, flores,

a *Iodocus Greverus in Secreto.*

b *Hartmann. tract. de oleis pag. 178.*

c *Zuvelfer. in Mantiſſ. Hermet. pag. 796. Libavius lib.6. Syntag. cap.23.*

Butyrum, oleum, gummi, tinctura, Pulvis Emeticus, Diaphoreticus, & per tot veneni adulteria, facti Reo Extorrique nomen quæritur quô lateat, nec non diligentioris artificij modus, quem formulæ iuridicialis manumittat Vindicta. Huius arcanum sibi quisque Tros Rutulúsve vendicat & venditat. Arte primùm clinicis & tonsoribus notâ, Vinum Emeticum parant & cauponantur Rusticiores: Crudum Stibium nitrumque ex æquo mista, vsta, fusa recrementis purgant, tertiùm inde lavant, vinumque ita temperant, venenum vt ingeminent; nec enim venenum vino excluditur, nec vinum veneno. *d* Elegantiores pulvere, vitri quadruplicati & nitri accensô fusôque subinde rursus pulveratô, tepidæque artifici temperamentô edulcatô, filtratôque, residem pulverem fervente vino per noctem infundunt, & denuò priusquam propinetur filtrando percolant: sunt qui duodecies fundunt, terunt, elutriant: aliis eam in rem acetum stillatitium vino acceptius, vel aqua cœlestis, rejiculâ etiamnum, ut cautio sit, primâ atque alterâ infusione; sunt qui Regulum cum halinitro calcinant, atque opere itidem sæpius repetito, triduo calcem in Reverberio figunt, quam ex aqua chalybeata coquunt nonnulli, & cum spiritu vitrioli corrigunt, tot artibus in veneni conscientiam adhibitis solliciti, nec impuni usu securi.

d *Reusner. exercit. 7. de Scorbuto.*

VNO tamen novitatis titulo Chimiam accusare iniuria est, veniâ dignus etiam huius error sacra Naturæ opertanea curiosiùs ventilantis. At qui in hominis salute peccant huius Professores, venena pro remediis publicant & propinant, homicidæ temeritatis crimen incurrunt. Scilicet variâ pereuntium formâ, omnique imagine mortium periclitari, illis est pretium operæ; credulisque offuçias dare rudioribus, sana quum venenant Pharmaca; queis si fortè otiosa indulsit Antimonij feritas, cedit protinus in beneficium egregiæ virtutis; & quando unius in censu Portitoris sunt qui potionati iere ad plures, vincit suffragiis præsentiũ, diciturque servasse quia purpureo non occidit fato; nec virus attigit obductâ lento & pingui excrementorum jusculorúmve tectorio

viscera; ita famam tectis colunt peccatis, inanique specie & larvâ accuratæ *a* præparationis unis illudunt ægris, sibi parcunt veriti Talionem; numero se purgitant cùm tot Arios una in uno Hilario veritas vicerit, tot in uno Galeno Erasistratæos αἱμοφόβους. Nunquid illutibile huius venenum *b* aqua eluent, quod vis ignis incendit non extinxit aut consumpsit? si quando distulit non abstulit, *c* quod nitri amplius aluit mixtura & vegetavit. Viden ut redit ad ingenium *d* ipsâ ferociùs morâ Diaphoreticum, aut sub Dio si pernoctaverit? *e* fusi Vitri halitus Sulphurei, Arsenicales, Mercuriales incautis surgunt *f* exitio Cinifionibus, maturantque Operarum fata *g*: par in floribus & favilla malignitas, Mercurij sublimati, Vitrioli albi, salis volatilis, divortio emortua quandoque temporario reviviscit, fertque ætatem *h*; Calx abit in vitrum, Crocus in Stibium, in Crocum Regulus. Quid plura? à quocunque sibi metuunt & temperant rari nantes in gurgite vasto prudentiores, quandiu *i* emeticum aut ventris ἐρεθιστικὸν se probat, quia tandiu venenum. *l* Ne proinde intuearis Vinum quando flavescet, quum splendueritin Vitro color eius, ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber, & sicut Regulus venena diffundet. Quin imò, ne illa quidem absolvenda veneni, nobilis Tinctura, quam vigilans somniavit Paracelsus, sine ulla vacuatione corporis universi purgatrix, luculentum ad ignem interdiu noctuque solidô mense torta, redivivô tandem Mercuriô animam & spiritum recipit. Domini namque cæterorum elementi definita cùm sit potentia, insuper frangenda contrariis, studia reddit irrita, fallit fidem *n* cujusque Præparationis, fugit omnem ideo secretioris Pyrotechniæ sedulitatem, nostroque aurem illi vellente Cinthio, Deleterium ut esse desinat Antimonium *o* ἄλλης δεῖται τέχνης ἧς ἔνι τὸ πῦρ ὄργανον.

Non Ergo potuit hactenus ulla Præparatione Antimonium emendari.

Proponebat Lutetiæ GABRIEL DACQUET, Lemovicensis, A. R. S. H. M. DC. LXVIII.

par un arrest du parlement cette these n'a pu estre soutenue. La suivante l'a remplacé. —

a *Libav. Syntagm. lib. 8. cap. 22.*
Epistol. 1. lib. 1. ad Cremandr.
Lib. 5 de compos. cap. 6.
Commen. Alkem. part. 1. lib. 3. de distract. c. 20.
Osvald. Croll. de Butyr. antim. basil. Chim. pag. 211.
Gesner. epistol. 24. 25. lib. 2. in Thesauro Evonymi part. 2.
b *Reusner exercit. 7. de Scorb.*
c *Gal. 10. de simpl. med. fac. in Proëm.*
d *Zuvelfer. in mantiss. herm.*
e *Basil. Valent. Curr. triumph. antim. pag. 55. 71.*
f *Vanhelmont. tract: de arcan. Paracels.*
g *Paracels. 2. part. Chirurg mag. tract. 3. cap. 6. pag. 68.*
Libav. lib. 7. Syntagm. cap 22.
h *Libav. lib. 5. Syntag. cap. 10. & 26.*
Epistol. Chimic. lib. 2. epist. 48. 49. ubi plura de reductione.
Hamer. Popp. basil. Chim. pag. 610.
i *Vanhelm. tract. de Feb. c. 15.*
l *Proverb. c. 23. num. 31. 32.*
m *Paracels. 2. part. Chirurg. mag. tract. 3. cap. 5.*
n *Libav. not. in Apolog. Gast. Clavei sect. 4. tract. 2.*
Osvald. Croll. basil. Chim. pag. 218.
o *Hippoc. lib. de Arte.*